

- 1 Erhardus S. Rom. Imperij Comes Truchses de Wetze
haus, S. Cas. Maj. Camerae a puriore Ecclesia
De eius ostensu Diss. Theol. prof. G. Fitis D. et
M. Rubertho Othonis Helmst. 1652.
- 2 Desiderium et studium concordiae Eccles. G. Calixti 1650
- 3 De fide & operibus S. patris & Doctoris Aurelij
Augustini Episcopi Hipp. liber unq edit. a D. Henrico
A. dissertatio de hoc argto eius de Aut. Henn. 1652.
- 4 Dissertatio de Majestate Civili D. Joh. Hennichij
de sacris publicis templis & diebus festis endirio
Autore M. Joac. Hildebrando Helmst. 1652
- 5 De cultu S. Virg. Mariae ap. Pont. G. Calixt. 1650.
- 6 de primatu Rni Pontificis G. Calixt. 1650.
- 7 de S. Scra, prof. G. Calixto Aut. et Res. M. Ecardo 1649
- 8 de justifiacoe hom. coram iudicio Dei. G. Calixto
Resp. M. Gerh. Fitis. 1650.
- 9 de controversijs q̄ circa Eucharist. inter Catho
licos protestantes et Pont. incedunt proside
10 D. Gerh. Fitis Resp. Fr. Wl. Calixto p. p. 1652
- 11 de S. Scra. ps. D. Gerh. Fitis Resp. Fr. Wl. Calixt. 1650
- 12 de S. Trinitatis mysterio ps. Gerh. Fitis: et Fr. Wl. Calixt.
- 13 de immortalitate aīe G. Fitis: et Fr. Wl. Calixt. 1650
- 14 de Supremo iudicio & eterna beat. G. Fitis: et Fr. Wl. Cal.
- 15 de praedestinaēe G. Fitis: D. H. Conrad. Hoffm. 1650



- 16 de Deo ejusq. Attrib. p[ro]f. Fr. W[il]h. C[on]r. D. Theol.
cum q[uest]ione, an Jud. et Muham. ab Idololatriā
sint alieni. 1653.
- 17 de peccato ejusq. differentijs p[ro]f. Gerh. Tit. D.
- 18 de auxilijs divinae grāe ad q[ue]r[en]d[um] et perseverāam
in fide & sanctitate n[ost]r[is]. p[ro]f. G. Tit. D. 51.
- 19 de justificāōe p[et]ris corā Jud. Ser. p[ro]f. G. Tit. D. 1651
- 20 de meritis opum p[ro]f. G. Tit. D. 1651.
- 21 de Saer. Baptismi p[ro]f. G. Tit. D. 1652.
- 22 loca nonnulla ep[iscop]i Theol. Georg. Calixti ad disputand[um].
proponunt p[ro]f. G. Tit. & Fr. Gesenio. March.
- 23 de simplicibus entis affectuibus p[ro]f. G. Tit. 1649.
- 24 de n[ost]ra Theol. p[ro]f. Balth. Cellaris D. 1651.
- 25 Diss. 1. qua introductis in theol. p[ro]ponit sub p[ro]f. D.
M. Petri Musari P. P. Rint. 1649.
- 26 Diss. 2da de S. P[er]ia absolute considerata, eiusd[em].
- 27 Diss. de dicto Joh. 1. v. 1. In principio. p[ro]f. Ab. Calovio
- 28 Diss. inaug. de jejunio, Rostochij sub p[ro]f. Joh. C[on]r.
manno S. S. Th. D. K. Nic. Bannigij 1642.
- 29 de termino vitae sub p[ro]f. Balth. Mentzeri S. Th. D.
Rintshelij 1647.
- 30 de peccato originis sub p[ro]f. Henr. Mart. Eccardo
& Th. D. Rintshelij 1651.
- 31 de poenitentia tractat[us] ex hebr[ae]o in lat. convers[us]
M. Joh. Hilpert. Helm. 1651.
- 32 rari et admirandi veneficis illati affect[us] historia
Brunf. 1648.

~~17 Abs.~~

Schreibst.

Experimentationes

25. Schreibung



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
SACRAMENTO
BAPTISMI,
Q V A M

AVSPICE DEO OPT. MAXIMO
SUB PRAESIDIO
GERHARDI TITIJ
S. THEOL. DOCT. ET PROF.
PVBLCI ORDINARII

Die xix Maij.

IN ACADEMIA IVLIA,

Examinandam proponit

LYDOLPHVS *Srupe*

Hannoveranus.



HELMESTADI

Typis HENNINGI MULLERI.

clo lcc LII.

161

VIRIS

*Perquam Reverendis, Nobilissimo, Amplissimis, Consulissimis,
Excellentissimis atq; Clarissimis*

DN. IOACHIMO Lütkehan S. Theol. D.
Serenissimo Celsissimoque Principi ac Domino, Dn. AV-
GVSTO Duci Brunsv. ac Lüneb. à Concionibus aulicis,
Ecclesiarum Ducatûs Guelphici Superintendententi Ge-
neralissimo, & perquam Reverendi Consistorij
ibidem adfessori gravissimo;

DN. HENRICO Speirman ICto
Serenissimo Celsissimoq; Principi ac Domino, Dn. GE-
ORGIO VVILHELMO Duci Brunsv. ac Lüneb.
à Consilijs;

DN. ERICO IOANNI Bendorff/
Ecclesiæ Collegiæ Brunsvicensis ad D. Blasij Ca-
nonico vigilantissimo:

VT ET

Prudentissimis, Spectatissimis atq; Præstantissimis

VIRIS

DN. LAVRENTIO Niemeyer/Reip.
Hannov. Camerario, Tribuno, aliisque Senatoriis
officiis conspicuo;


DN. FRANCISCO Dohausen/Reip.
Brunsv. Camerario meritissimo;

DN. CONRADO Wietersen/civi ap.
Hannoveranos primario.


*Dnn. Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus, Fautoribus & Adfms
nullo non observantia cultu et atemdevenerandis,*

*Hanc Excitationem Theologicam in gratæ mentis tesseram & be-
nevolæ voluntatis incitamentum consecrat*

LVDOLPHVS Grupe.



DE
SACRAMENTO BAPTISMI.
THESIS. I.

 Primè S. Augustinus Epist. cxlix: *Tenerete volo, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni iugo nos subdidisse & sarcina levi: unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facilimis, significatione prastantissimis societatem novi populi colligavit.* Idem docet alio loco, nempe libr. de Doctr. Christ. I II, cap. 9; *Quadam pauca pro multis, veteri pacto proprijs, eademque factu facilima & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Et vocem quidem Sacramenti ἀρεαφον esse, in trivio quoque notum est. Æquè & illud certum est, quid Sacramentum sit, vel quid propriè Sacramentum constituat, à priori, ut ajunt, ex scripturâ non posse colligi. Vnde doctrina de Sacramentis in genere, sine incommodo videtur omitti posse, dummodo ex Scriptura rectè explicentur Baptismus, Eucharistia aut reliquæ res, quas Sacramenta appellare vel usus obtinuit vel ipse etiam aut alius appellaverit. Quod sicuti τῷ πάλῳ Calixto nostro in Epitome dudum est monitum, ita etiam Nicolao Hunnio viro doctissimo placuisse deprehendimus. In Epitome enim credendorum ut vocat, vernaculâ, cap. xxv. §. 610. de Sacramentis: *Von den Sacramenten / ait, wird am besten vnd verstandigliche*

diglichsten gehandelt/ wenn man ein jedes absonderlich betrach-
tet &c. Et post duas periodos, cum quaestionem proposu-
isset, was Sacramenten seyn? respondet, dieses werden zwar
nachfolgende Puncten/ fürnemlich aber die sonderbare Abhan-
delung eines jeden Sacraments/ deutlicher vnd ausführlicher
geben. Sacramentorum igitur natura distinctius vix inno-
tescit, quàm si de unoquoque è propriâ sede ex scripturis
agatur. Hôc verò ita manifesto, obscurum amplius esse
nequit, quam lubrico fundamento innitantur Reformati,
quando confictâ communi quadam Sacramentorum ra-
tione, quâ ea in significando unicè & tantum occupata
esse volunt, disertis scripturarum phrasibus, *Baptismus abluit
peccata; hoc quod Christus porrecto pane dedit, est corpus ejus pro
nobis traditum;* significativè tantum exponunt, quod sine
locutiones, ut illi ajunt, Sacramentales? Sicut enim ini-
tio monuimus, ne una quidem è scripturis propositio pro-
duci potest quæ Sacramentis omnibus communes leges
ponat, sed de unoquoque è suo loco, ubi institutio ejus
consignata habetur, cognoscendum & judicandum. Po-
tuisse itaque præfatio Orthodoxi Consensus parcere illo
suo lepidò nostris Doctoribus intorto;

Discite vel tandem, quid Sacramenta vocentur

Discite quid res sit, quidve figurare ei.

Non prohibemus tamen nec prorsus improbamus, si quis
considerando quid huic aut illi rei quas Sacramenta ap-
pellamus conveniat, doctrinam de Sacramentis in genere
â posteriori exstruere velit.

II. Audiebamus paulò ante S. Augustinum dicen-
tem, *Dominum nostrum Iesum Christum* — *Sacramentis nume-
ro paucissimis societatem novi populi colligasse;* qui & altero lo-
co â nobis producto Sacramenti tantum Baptismi & Eu-
charistiæ mentionem facit. At hodie Pontificij in Con-
cilio

1619

S A

cilio Tridentino sessione septimâ de Sacramentis, canone primo; *Si quis dixerit (ajunt) Sacramenta nova legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem — aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.* Ex Scripturis pro septenario Sacramentorum numero nihil afferre possunt. Tantundem è Patribus eruerint. Et prodidit jam dum causam Gabr. Vazquez, *Patrum testimonijs hoc confirmare* (inquiens) quod VII. Sacramenta sint, *supervacaneum est, quia nullus eorum de numero speciatim quicquam defini- vit.* Nec possunt sanè Lombardo, qui Seculo XII. Parisiensis episcopus fuit, vetustiore pro sese citare Pontificij qui determinatum septenarium Sacramentorum numerum tradat. Quanto rectius Apologia Confessionis nostræ, *de numero & usu Sacramentorum*, postquam dixisset; *Sed hic jubent nos etiam septem Sacramenta numerare*, pergit & ita differit: *Nos sentimus præstandum esse, ne negligantur res & ceremonia in Scripturis instituta quotcunq; sint. Nec multum referre putamus, etiamsi docendi causâ alij numerent aliter, si tamen rectè conserventur res in scripturis traditas. Nec Veteres eodem modo numerarunt.* Quod sanè verissimum, esse nemo qui vel obiter veterum libros inspexerit, diffiteri poterit. Rursus eadem Apologia: *Nemo vir prudens de numero aut vocabulo magnoperè rixabitur, si tamen illa res retineantur, quæ habent mandatum DEI & promissiones.*

III. Quantum igitur ad quinque ea quæ duobus nostris Pontificij superaddunt, Ordinationem, Absolutionem, Matrimonium, Confirmationem & extremam unctionem, nostra & Apologiæ sententia est, tria illa ex his priora Sacramenti nomine, si quis eo adeò delectetur, insigniri posse, quanquam non sint eo prorsus modo Sacramenta quo Baptismus & Eucharistia. Ordinatio sive legi-

tima ad ministerium Evangelij vocatio, & publica eius vo-
cationis declaratio mandatum habet, habet quoque pro-
missionem quod Deus largiri velit dona & vires obeundo
huic muneri necessarias, Tit. i. 5. i. Timoth. iv, 14, 16, &
quod per id efficax esse velit ad salutem omni credenti.
Verum non habet ex mandato divino signum quoddam
externum, externis ritibus adhibendum, neque habet
promissionem de salute ordinati, sed potius cum ipse pos-
sit esse reprobus, de efficaciam ministerij eius in alijs. Matri-
monium verò non esse Sacramentum novi foederis inde
liquet, quia non in novo sed in veteri Testamento est in-
stitutum; caret præterea corporeis & aspectabilibus signis,
ab ipso Deo commendatis, multò minus habet peculia-
rem quandam promissionem quod per illud DEVS efficax
esse velit ad salutem, & utenti dona sua coelestia vel con-
ferre vel collata obsignare. De Confirmatione autem,
& extrema unctione, de quibus potissimum controverti-
tur, fatetur eadem Apologia, *ritus esse à Patribus acceptos,*
quos ne hodiè quidem Romana Ecclesia tanquam necessarios ad sa-
lutem requirat; Addit: non habere mandatum Dei; propterea et-
iam non inutile esse hos ritus discernere à superioribus (Baptismo,
Eucharistiâ, Absolutione &c.) *qui habent expressum manda-*
rum Dei, & claram promissionem gratia. Iuxta Pontificios
quidem Confirmatio est Sacramentum à Christo institu-
tum, cujus materia remota sit oleum balsamo mistum,
proxima, unctio ipsa quæ fit in fronte baptizati ad figuram
crucis, forma verò consistat in his verbis; signo te signo
crucis confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris &
Filij & Spiritus sancti. Effectum faciunt illi geminum; u-
num dicunt esse collationem gratiæ gratum facientis, &
quidem majoris in ordine ad roborandam animam adver-
sus Diaboli impetus quàm in ipso baptismo conferatur:
alte-

alterum characterem indelebilem, animæ confirmati impressum: Ministrum verò ejus ordinarium volunt esse solum episcopum, eaque omnia sub anathematibus sanxit Synodus Tridentina *κατανοβολα*.

IV. *Ferrea interim fuerit frontis* (utemur verbis Praeceptoris nostri Dn. D. Calixti) *qui dixerit, siue ex Scripturâ siue ex consensu antiquitatis demonstrari posse, quod Dominus nos- ter Iesus Christus tale instituerit Sacramentum, quale ex sententiâ Pontificiorum modo descripsimus, cujus materia remota, proxima, item forma & minister sint quales diximus. — Veteres hanc ceremoniam Baptismo conjungunt, & in eâ describendâ vehementer variant. Materia, forma, minister, quales Pontificij requirunt, è veterum testimonijs elici nunquam poterunt. Dissentiunt etiam hic à Pontificiâ cætera per universum orbem Ecclesie &c. Hæc & plura vir summus, loco citato, quem integrum lectori commendamus. Ostendit enim in sequentibus luculenter, quod nec olim nec hodiè inter Christianos, siue circa ministrum, siue in modo unguendi aut partibus unguendis, siue in prolatione formulæ cum Pontificiorum hodierno placito consensum liceat reperire. Unde postmodum infert; hanc varietatem evincere, ceremoniam esse liberam & indifferentem, minimè verò Sacramentum à Christo institutum, in tali materia & sub tali formâ, & à tali ministro, quemadmodum Pontificij definiunt, administrandum. Cujus discursus robur cum sentiret Iesuita Moguntinus Vitus Erbermannus, homo nominis sui omni valdè dissimilis, qui libro illi D. Calixti scurrile & sophisticum suum Irenicon objecit, hunc in modum rem ipse aggreditur. Cur non posuit (Calixtus) vim argumenti in forma Syllogisticâ toties jactatâ, hoc modo (ubicunq; est varietas in modo & verborum formâ, ibi est ceremonia libera, non verò Sacramentum à Christo institutum, sed illa varietas cernitur apud va-*

Resp. Mog.
Oppos.
part. I. §.
108, 109.

rias



rias nationes, ergo) nunquid sic fraus omnibus fuisset obvia? quis enim non pariter subsumeret: at varietas cernitur in mersione vel asperzione unâ & trinâ Baptismi, uti & in formulâ quâ Græci utuntur imperativâ, *Baptizetur servus Dei &c.* Latini indicativâ, *ego te baptizo &c.* Ergo Baptismus est libera ceremonia & non à Christo institutum Sacramentum. Et hujus farina, ait, sunt pleraq; omnes errorum Calixtinorum probationes. Hæc ita quidem ille. Sed salva res est; Iesuita nihil minus quàm Erbermannum sese præstat, quando D. Calixti argumentum proponit. Major enim propositio ex ipsius discursu ita erat concipienda: circa cujus sacri ritus materiam, formam & ministrum, & olim & hodie in Ecclesiis per orbem Christianum essentialis reperitur diversitas, ille ritus non erit Sacramentum à Christo institutum; sed ritus unctionis baptizatis conferri solitus est talis, Ergo. Minorem loco citato luculenter probatam dedit D. Calixtus ad quæ nullo verbo respondit Vitus, nec respondere, credo, potuit. Iam denuò periculum faciat Iesuita, & positam majorem instantia sua infringere tentet; Sed varietas baptismi essentialis cernitur in mersione vel asperzione unâ & trinâ uti & in formulâ quâ Græci utuntur imperativâ, eum latini utantur indicativa &c. Ecquis non videt minorem hanc falsam, & istam quam ille adduxit asperptionis & formulæ in Baptismo diversitatem merè esse accidentalem? An si dicas; *Baptizo te in nomine &c.* aut *baptizetur ille in nomine &c.* diversitas hæc par æstimanda illi, quæ intercedit inter hanc formulam, *Signo te signo crucis confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti;* & inter eam quâ Græci utuntur; *Signaculum Spiritus sancti, Amen?* An accidentalis tantùm est diversitas inter unctionis actionem & inter impositionem manuum? quare non etiam inter manus impositionem & frictionem? an episcopus

scriptis & quivis alius minister juxta Pontificiorum sententiam accidentaliter duntaxat differentiâ quod rationem ordinis & officij attinet distinguuntur? Hæc & alia insuper si prius persuadere nobis poterit Vitus, licebit ei postmodum instantiâ suâ redire. *Et hujus farinae* (reddamus P. Vito sua verba) *sunt pleræq; omnes* Erbermannianæ contra Calixtum exceptiones. Quod obiter & in transcurso quasi placuit ostendere, plura alteri occasione reservantes. Pari facilitate ostendi posset, extremam unctionem Papisticam non esse Sacramentum à Christo institutum, sed nunc quidem in alium locum id differimus.

V. Accedimus autem ad id ipsum cujus causâ dissertationem hanc imprimis conscribere volumus, doctrinam scilicet de sacro regenerationis & renovationis lavacro, sive uno verbo de Baptismo. Sumimus autem vocem ipsam Baptismi recepto dudum in ecclesiâ Christianâ significatu nempe pro immersione sive aspersione hominis, quæ fiat aquâ, & ut *ὡς ῥῶμα* ratio ejus statim innotescat, dicimus plenius, Baptismum esse actionem ab ipso Christo Domino & Servatore nostro institutam, quâ nullo ætatum sexuumque discrimine tam foeminæ quàm maris, tam infantes quàm adulti aquæ vel immergantur, vel cætingantur, ut hoc ritu significante, simul & quod significat conferente, remissionis peccatorum regenerationis & adoptionis gratia vel conferatur, vel confirmetur & obfignetur. Autor itaque Baptismi sive ut scholastico more loquamur, causa efficiens principalis Baptismi est ipse Deus seu Christus Servator noster Matth. XXIIX, 29. Nec esse aliter potest. Sunt enim Sacramenta, peculiari & propriâ quâdam ratione ita dicta, actiones sive ritus externi, sensibiles, promissionem insensibilis supernaturalis & spiritualis cujusdam effectus habentes, qualem instituto suo

B junge-

jangere humanas imò quasvis creatas vires excedit. Vnde
rectè jam olim Thomas in quartum, dist. xviii. quæst. ii. i.
artic. i: *Ministri Ecclesie instituuntur in Ecclesiâ divinitus fun-*
datâ, & institutio Ecclesie presupponitur ad operationem mini-
strorum sicut opus creationis presupponitur ad opus natura. Et
quia Ecclesia fundatur in fide & sacramentis, ideò ad ministros
novos fidei articulos edere, aut editos removere, aut nova Sacra-
menta instituere, aut instituta removere non pertinet, sed hoc est
potestatis excellentie, quæ soli debetur Christo qui est Ecclesie
fundamentum. Nec instituit tantùm Baptismum Christus
ὁ θεὸς υἱὸς πατρὸς, sed ut exemplo suo non minus incitaret quàm
mandato, ut ut purus alioqui, immaculatus & separatus à
peccatoribus Hebr. vi. i. semetipsum eo lavacro ablui pas-
sus est, modo non absimili isti, quo parens liberorum a-
mantissimus quantumvis sanus pharmacum quoddam in-
gratiam filioli ægri prægustat, ut & illum exemplo ad su-
mendum invitet. Propriis tamen manibus lotionem hanc
non administrasse credimus irrefragabili testimonio Io-
hannis iv, 2. *Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli ejus.*

VI. Quemadmodum verò Christus sacram hanc
actionem initiò per Iohannem, deinde per Apostolos
quos ad docendum & prædicandum per universum orbem
destinaverat administrari voluit, ita deinceps quoque, or-
dinariè quidem non nisi per ministros ad docendum in Ec-
clesiâ vocatos peragi oportere certum est. Sicuti autem
casus oriri potest, ut munus docendi laicus aliquis aut fœ-
mina quoque sibi citrà vanitatem aut impietatem capiat,
ita etiam usu venire posse existimamus, ut necessitate po-
scente fœmina Christiana baptizandi officium procul o-
mni superstitione aut irreverentia sacræ hujus actionis
præstare valeat. Quam ad concessionem nostram etsi Re-
formatos frontem corrugare non ignoremus, tamen igno-
scent

scant nobis quod illâ indignatione non usque adeo move-
amur. Docendi munus foeminas aliquando obiisse Scri-
ptura ipsa commemorat Act. xxiv, 25, 26. II. Tim, 1, 5, 6.
Insigne quoque exemplum suppeditat Historia Ecclesiasti-
ca apud Ruffinum, Socratem & Theodoritum, foeminae
cujusdam Christianae captivae, quae apud Iberos Evangeli-
um praedicando, Regem, Reginam & populos convertit.
Quare itaq; baptismum foeminae non etiam administrent
certo loco & tempore, praesertim cum posterior actio prio-
re non sit sanctior, nec plus imò minus judicij & doctrinae
requirat. Marcus quidem VVendelinus complura hic con-
tra nos affert, sed duo tantum inter omnia responsionem
videntur mereri, nam caetera protrita & levia sunt. Dicit
itaque: *Nullam esse necessitatem quae cogat ad mulierum vel lai-
corum baptismum suscipiendum.* Probat: *Quia beneficium re-
generationis non sit alligatum baptismo externo quippe quod etiam
ante vel post baptismum per Spiritum S. conferatur.* Sed dicit
hoc tantum VVendelinus nec ullâ ratione munit assertum.
Et est illud ipsum fibra quaedam ex infelici & venenata illâ
absoluti decreti radice propullulans, quâ eradicatâ ista
quoque simul evellitur. Quod alibi a nobis factum & por-
rò, Deo juvante, fiet. Praedestinati scilicet ita fataliter,
sancti jam & in foedere Dei constituti ex utero materno
prodeunt. Non mirum itaque quod baptismum haut mul-
tum ijs sit opus. Caeterum nobis aequae ac absolutum de-
cretum nunquam illud persuadebitur. Post interjecta ali-
quam multa *λεωτά* dicit iterum VVendelinus: *Nullam esse
tantam necessitatem quae ad divinae legis violationem nos debeat
impellere.* Qualem verò divinam legem intelligat, existi-
mamus nos è praecedentibus rectè eruere ubi dicit, *Chri-
stum discipulis suis eorumq; in verbi ministerio legitimis successo-
ribus baptismi administrationem mandasse.* Rectè sanè; sed

lib. 1, c. 10.
lib. 1, c. 16.
lib. 1, c. 23.

Theol.
Christ. lib.
I. cap. xxii.
S. 8.



non negabit tamen VVendelinus, legem hanc divinam
merè positivam esse, & quidem circa aliquod essentiæ ba-
ptismi prorsus extrinsecum (tale quid enim est ministrans)
lataim. Iam non ignorabit, posse incidere casum ne-
cessitatis, in quo liceat cessare ab observatione legis divi-
næ positivæ. Nempe si salus proximi (æterna præsertim)
in periculo versetur, tum fieri potest, ut observationem
legis naturæ jubentis & urgentis ei medijs ordinatis prospice-
re, rectè & licitè præferam observationi legis positivæ
quantumvis itidem divinæ. Adferemus hanc in rem verba
nonnulla ex Epitome Theolog. Mor. Dn. D. Calixti. *Si
concurrentibus in eundem temporis articulum diversis objectis,
fieri nequeat, ut observetur lex positiva, qua observanda incum-
bit, & lex moralis, tunc ut morali satis fiat, positiva observatio
tantisper suspendenda erit. Et Deus statuens positivam, ejusmodi
casus, quibus positiva observationem moralis impeditura esset,
mandato suo comprehensas noluit. Exempla videantur ibidem.*

VII. Ostenso jam eo, quod certo in casu baptismus
ab ijs quoque conferri possit, qui ordinarij Ecclesiæ mini-
stri non sunt, videndum, an ratus sit habendus baptismus
ille, quem hæreticus quispiam, aut sceleribus coopertus
minister contulerit, & an fortassis fuerit iterandus? Nos
negamus quæsitum & dicimus, baptismum omnem vali-
dum esse, sibi que constare, qui quantum ad essentialia le-
gitime & secundum institutionem Christi administratus
fuerit, cum vis sive virtus ac efficacia Sacramentorum
non pendeat à qualitate ministri, sed ab instituyente ejusque
promissione, veritate, ac potentiâ. Vnde rectè August.
Confessio articulo octavo docet, *Sacramenta propter ordina-
tionem Dei efficacia esse, etiamsi per malos ministros exhibe-
antur.*

IX. Id ipsum vero, quo homines sunt baptizandi,
est

est aqua pura, simplex, & vulgaris, non vinum, lixivium,
cerevisia, aut alij liquores arte confecti — Quod Christus
& Apostoli verbo factisq; docent Ioh. III, 5. Eph. v, 26, Act.
VIII, 38. Manichæi quidem olim quod malo principio a-
quas acceptas ferrent, inde *baptismum in aqua nihil cuiquam
perhibebant salutis afferre, nec quemquam eorum, quas decipie-
bant, baptizandum putabant*, ut refert Augustinus, & qui-
dem è priscis solus, reliquis idipsum prætereuntibus. Sed
hoc cum reliquis istorum hominum furoribus transeat,
Magis mirum, Theodorum Bezam, hominem aliàs nec
indoctum nec infantem Ep. II. ad Thom. Tiliam quovis
alio liquore si aqua desit, se baptizaturum promittere au-
sum. Quem errorem Alstedius frivolis quibusdam rati-
unculis incrustare laborat Theol. polem. parte quinta. pag. 594.
Rectius consultus magister Calvinus ipse Epist. cclix.
Aquâ mysterium illud peragi voluit unigenitus Dei filius. Et Bu-
canus Instit. Theolog. Loco LXVII. *Materia externa baptismi
est aqua vera, pura, munda & naturalis, nec alius liquor, simplex
& vulgaris.* Objectum verò hujus actionis sunt homines,
non aliæ creaturæ brutæ & irrationales, & illi quidem vivi,
ex utero matris in mundum editi, & habiles per naturam
aut conditionem ut baptismo utantur. Iubentur enim A-
postoli baptizare *omnes gentes* Matth. xxviii, 9. quæ vox in
scripturis perpetuò pro hominibus vivis accipitur. Nec
officit locus obscurissimus I Cor. xv. 29. ubi baptismatis
ὄψιν τῶν νεκρῶν fit mentio. Neque enim ex eo elici potest
mortuos unquam, & licitè quidem ac rectè baptizatos.
Videatur D. Calixtus libro de Immortalitate animæ & re-
surrectione carnis cap. vi. Tantò major est superstitio,
quod apud Pontificios campanis baptismum conferre non
horrent. Diximus homines utpote creaturas animales ra-
tionales esse baptizandos. Vbine furiosos quidem, & mi-



mus adhuc epilepticos, qui durante bono intervallo (quæ-
liam in miserrimos illos cadere solent) baptismum petunt,
excipi volumus. Addidimus, si sint habiles per naturam
aut conditionem ut baptismum utantur. Per naturam in-
habiles existimamus, foetus ita monstrosos ut speciem hu-
manam mutant. Quæ de re naturæ consultos in consili-
um adhibere rectum erit. Inhabiles per conditionem no-
bis sunt infideles, aperti & contumaces hæretici, eorum-
que liberi, quotquot ex ipsis vel ultrò baptismum non pe-
tunt, vel volentibus, & consentientibus parentibus ad
eum non deferuntur. Neque enim Servator ipse invitis &
reluctantibus obtrudi voluit media gratiæ, ut videre est,
Matth. x, 9. *Quicumq; non receperint vos, neq; audierint &c.*
exeuantes domo illa excutite pulverem pedum vestrorum Luc.
xxiii, 28. *filia Ierusalem ne fleatis super me, sed super vobis ipsis*
& liberis vestris. Quod si tamen alteruter saltem parentum
baptismum infantis expetiverit, aut in eum consenserit,
videtur is conferri posse, cum juxta Apostoli sententiam
I Cor. vii, 4. filij ex uno saltem parente fideli prognati,
dicantur sancti, hoc est juris & facultatis ad communi-
onem ecclesiasticam participes. Idem dicendum videtur, si
belli alea, aut alio casu contingat, ut infans aliquis paren-
tum infidelium in Christianorum manus deveniat, nec
merus probabilis ullus sit, ipsum ad parentes infideles un-
quam reversurum.

IX. Nequaquam autem quando dicimus baptizan-
dos esse, qui per conditionem non sunt inhabiles, eo ipso
exclusos volumus infantes Christianorum quantumvis ad-
huc à matre rubentes. Cum gratiam divinam Christi mor-
te omni ætati sexuque partam, omnibus quoque quan-
tum est ex parte ipsius nullo non tempore parere persuasif-
simi simus. Quin necessarium quoque infantibus esse ba-
ptif-

ptismum existimamus, quod & Servator omnibus genti-
bus cum conferendum præceperit, Matth. xxviii. & Mar-
ci xvi, tum quod absq; illo medio regnum cœlorum non
detur ingredi. Et quia contra hanc sententiam hodiè ve-
niunt catervæ contradicentium, Anabaptistarum, Pho-
tinianorum & similibum, roboratam eam damus hoc ar-
gumento: Quicumque sunt caro nati de carne h. e. sunt
homines peccatores, nec possunt introire in regnum Dei,
nisi renascantur ex aqua & spiritu, illos necesse est bap-
tizari. Infantes sub tales Rom. i ii. à vers. 10. usque ad 20.
Ioh. iii, 5. Ergò. Hoc argumento evincitur, infantibus
quoque Baptismum sub ratione medij esse necessarium.
Necessitatem verò præcepti paulò ante indicabamus, fun-
datam in locis Matth. xxviii. & Marc. xvi. Vbi non est, ut
excipias, docendos ibi prius dici, qui baptizari debeant.
Quando enim Servator dicit; Docete omnes gentes bap-
tizantes eos, voluit, ut doceri debeant, qui doceri possint,
& baptizari, quibus baptismus conveniat. Quin ideò
quoque prius doceri voluit gentes, quam baptizarentur,
quia nulla gens Apostolis potestatem baptizandi sive adul-
tum sive infantem fecisset, nisi prius in fide fuisset infor-
mata, & ei constitisset, quod baptismus esset medium con-
sequendæ salutis. Nec parum ponderis sententiæ nostræ
accedit è praxi veteris & primitivæ Ecclesiæ, de qua S. Au-
gustinus Epist. xxviii. ad Hieronymum: *In tota Ecclesia
propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia
sine dubio creditur, aliter eos vivificari in Ecclesia non posse.* Et
Augustino antiquior Cyprianus, quem Augustini ipsius
encomio *inter raros & paucos excellentissimæ gratiæ viros nu-*
merat pia Mater Ecclesia obnilitur Fido, qui dicebat infan-
tes intrâ secundum vel tertium diem, quo nati sint, constitutos,
baptizari non debere, sed expectandum sicut in circumci-
sione

6. de Bapt.
cont. Don.
cap. 2.

sione octavum. Tàm consentienti autem Ecclesiæ praxi sese opponere, intolerandæ fuerit temeritatis & arrogantia, nec nisi per mentis aut iudicij inopiam excusari poterit. Atque ita ostensum esto, baptismum tanquam ordinarium medium ad salutem capeffendam summè necessarium esse, ut adultis, ita etiam infantibus tenellis, & nomine mortalium, cui lavacri hujus capiendi facultas data fuerit, ullo modo insuper habendum.

X. Quod si tamen incidat casus humanâ cura & industriâ inevitabilis, quò infans aut adultus baptizari prohibeatur v. g. si infans in utero matris exstinguatur, aut in lucem editum, opinione citius *auferat atra dies & funere merget acerbo*, haut existimamus Patrem misericordiarum damnatione illum permissurum involvi. Etenim si perpendamus voluntatem illam Dei, quâ promptum se ostendit ad servandos omnes homines primi parentis lapsu non obstante, necessum erit, ut statuamus, Deum quoque ejusmodi infantes, ante baptismum mortuos, servatos velle, iisque ut omnibus alijs, sufficiens medium ordinasse. Tale verò medium, quò servari infantes queant, nullum aliud ab hominum parte dari potest præter hoc unum, quod in parentum desiderio ac voto Christo per baptismum eos inserendi collocatur. Quod si Deus respuat, de nullo prorsus medio infantibus illis prospectum esse, Deumque eos servari nolle, statuendum erit, contra quam Christus pronunciat, *nolle se ut pereat unus ex parvulis istis* Matth. xix, 14. & quam Apostoli, *quod velit omnes salvos, & neminem perire* 1. Timoth. ii, 4. ii. Petri iii. 9. Faceffere itaque jubemus Latinorum veterum, quamvis haut paucorum Patrum, ut & hodiernorum Papistarum communem, sed rigidam sententiam, quâ infantibus ante Baptismum extinctis damnationem de plano adjudicant. quam

quam Becanus paulò mitior non tantum *nullà pœnà sensibili* ^{Theol.}
infantes ejusmodi vult *affici*, sed insuper *agere vitam feli-* ^{Schol. part}
cem juxta exigentiam statûs naturæ. Quod tamen unde ipse ^{3, cap. 10.}
resciverit, nobis divinare non licet. Digna verò existima- ^{qu. s. §. 6.}
mus, quæ hîc legantur, verba Iohannis Gersonis è sermo- ^{object. 3.}
ne in Natal. B. Mariæ: *Debent mulieres pregnantes similiter &* ^{p. 3.}
viri sui (ipforum) per se & alios diligentius preces fundere Deo
&c. quatenus infans nondum natus, si fortè moriturus est, prius-
quam ad Baptismi fluminis gratiam pervenire valeat, dignetur
ipsum Dominus Iesus Summus Pontifex baptismo Spiritus Sancti
preveniendo, misericorditer consecrare — proficit hac conside-
ratio ad exercitationem devotionis in Parentibus; proficit ad le-
niendam eorum angustiam, dum sine Baptismo discedit puer, quia
non omnis inde spes salutis ablata est. Hæc ita pro suâ pietate
Gerson.

XI. Nos progredimur ad formam quam vocant i-
pſius Baptismi. Nam de materia proximâ aspersione aut
ablutione ipsa, unam an trinam illam esse oporteat, non
est magna difficultas. Primitus quidem juxta praxin
Apostolorum homines aquæ immergebantur, quâ im-
mersione eamque secutâ emersione significabatur sepul-
tura veteris hominis cum Christo, ejusdemque cum ipſo
ad novam vitam emersio seu resurrectio Rom. VI, 3, 4, 5;
Vnde Chryſostomus homil. xxiv. in Iohann: *in aquâ, tan-*
quam in sepulchro caput immergentibus, vetus homo sepelitur,
emergentibus novus resurgit inde. Successu verò temporis
affusio seu aspersione obtinere cœpit, quæ ipsa etiam satis
pulchram significationem aspersionis sanguinis Christi,
aut effusionis Spiritus sancti habet. Et sicuti olim immer-
sio erat trina juxta illud Tertull. de corona militis cap. III.
Ter mergitatur; & adversus Praxeam cap. xxvi. Non semel,
sed ter ad singula nomina in personas singulas ringimur; ita ho-
die

C

die adhuc trina aspersio recepta est. Quod tamē ad divinam institutionem non referimus, sicut nec ipsam aquæ, ut vocant, consecrationem, quæ etiam apud nos desit. Pontificij quidem aquam sive fontem, ut loquuntur, consecrant precibus, crucis signationibus, insufflatione & immisione ardentis cerei ac chrisomatis, ut ex sacerdotali Romano tract primo cap. i i. videre licet. Sed qui inter ipsos divinæ institutioni morem eum accepto ferre ausit, nobis nondum contigit videre. Verum de forma Baptismi dicebamus nos acturos. Materia quidem & forma substantiarum propriæ sunt, & quidem corpor earum. Transferuntur tamen vocabula ad res etiam alias significandas & declarandas; ablutio igitur hîc subit vicem materiæ, uti jam diximus, pronuntiatio autem verborum: **IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI**, formæ. Absque hac enim si sit, nihil fuerit externum & sensibile, quo ex institutione Christi sacra hæc lotio distinguatur à vulgari, sive in esse actionis sacre constituatur. Nec Christus distinctè protulisset trium divinarum personarum nomina, si nihil aliud voluisset, quam mandato divino baptismum esse administrandum; & non voluisset in ipso baptismi actu tres hæc personas distinctè nominari. Hinc Cyprianus Epistolâ LXXIII. *ipse Christus gentes baptizari jubet in plena & adunatâ Trinitate.* Nobis itaque non probatur si quis vel in solius Christi nomine baptismum conferre, vel nomina SS. Trinitatis per synonyma efferre velit, dicendo v. c. ego Te baptizo in nomine Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris, aut simili ratione. Nam quod in Actis Apostolorum aliquoties leguntur, baptizasse in nomine Christi, est nihil aliud, quam baptizasse baptismum, quem instituit Christus. Sane cuius actionis tota essentia unice constat è verbis & gestibus solo divino arbitrio de-

termi-

terminatis, ejus omninò præcisam executionem fieri oportebit. Quomodo enim homuncio aliquis aufit demere vel addere vel surrogare ijs, quæ à Deo determinata sunt? Cùm ille nequeat esse certus, an cui ipse suo arbitrio demit, addit, aut quod surrogat, in ordine ad effectum illum supernaturalem producendum, parem cum eo, quod Deus ipse determinavit efficaciam sit habiturum. Fieri certè aliter non potest, quam ut dubitatio in animo ejus confurgat, qui vel latum unguem à divino instituto deflexerit. Atque hinc est, quod Veteres, illos qui omisâ disertâ SS. Trinitatis invocatione baptizati erant, rebaptizandos quoque existimaverint. Id verò, utrum baptizans in prima persona loquatur: Ego te baptizo; aut in tertia; baptizetur servus Christi in nomine &c. quâ loquendi ratione utuntur Græci, parum referre existimamus, cum neutrum horum à Christo præscriptum sit, & humanæ prudentiæ relictum meritò videatur. Vnicum saltem adhuc observari hîc merebitur, nempe omninò requiri, ut actio ministrantis, sive lotionem illam peragentis & ad eam SS. Trinitatem invocantis, quisquis etiam ille fuerit, non sit ludicra, vulgaris & irrisoria; sed sacra solennis & seria h. e. gestus ejus, dicta, facta, talia sint, ex quibus non appareat, quod lotionem capitis vel ludum instituere cupiat baptizans, sed seriò rem hîc & nunc velit agere.

XII. Quæri autem rursus potest, an baptismum semel collatum liceat repetere ac iterare? Et respondetur, si ille, quantum ad essentialia ritè fuerit collatus quantumvis ab hæretico homine, iterare eum non licere; cum ejus rei nec præceptum nec exemplum in Scriptura aut antiquitate reperire sit. Quod si contingat ut post baptismum in peccata contra conscientiam quis prolabatur, & postmodum ad pœnitentiam redactus Deo rursus conci-

liari cupiat, baptismum quem foederi huic Deus addidit & quo gratiam suam simul contulit atque obsignavit, non vult repeti ab homine fidem suam deserente; sed id duntaxat requiritur, ut homo per poenitentiam ad Deum, qui in baptismo gratiam suam & vitam aeternam promisit, & vicissim bonam conscientiam stipulatus est revertatur, & sic jure & fructu baptismi, quo per peccata excidit, vitae novitati jam studens, fruatur fructumque hujus foederis percipiat. Adscribemus hic verba quantumvis pluscula maximi Chemnicij de *Baptismo*, quibus rem praesentem perspicue & erudite explicat. Sic vero habent illa: *Docemus si illi, qui conversi fuerint admittant actiones (peccata) contra conscientiam, ipsos una cum fide a sese excutere gratiam & spiritum sanctum. Sed non ideo ipsa virtus & efficacia baptismi evertitur. Sicut enim aliquis potest navi excidere, ipsa manente incolumi, ita ex arca baptismi multi temere in mare perditionis profiliunt: & hi sunt, qui deserta promissionis fide, in peccatum sese precipitant, navis vero ipsa permanet integra. Et si per Dei gratiam is, qui exciderat reverti potest ad navim, non aliqua alia nova tabula, sed solida ipsa nave unde exciderat feretur ad portum salutis. Num vero iterum baptizandus est, qui lapsus fuerat, ut ita ad arcam baptismi revertatur? Non hoc dicimus; sed lapsus doctrinae legis invitatur & ducitur ad poenitentiam. Proponitur ipsi doctrina Evangelij de gratia Dei in Christo: & credenti ministerio clavium peccata solvuntur, & remittuntur per nomen Christi: invitatur ad coenam dominicam, ubi accipit novum Testamentum in sanguine Christi. Hac vero non est DIVERSA, alia & nova tabula, sed eadem est promissio, idem meritum Christi, eadem gratia Dei, eadem fides. Una enim est fides Eph. 4. & baptismus est perpetuum testimonium & sigillum, nos ad illa beneficia habere aditum & reditum per fidem post quemcunque lapsum non septies, sed septuagies septies.* Hac ita ex Chemnitio.

XIII. Tempus est ut de fructu sive effectu baptismi, nunc etiam consideremus. Vbi placet in aliorum heterodoxas sententias prius animadvertere, antequam genuinam proponamus & explicemus. Pontificij itaq; geminum baptismo tribuunt effectum, quorum prior est conferre gratiam ex opere operato, alter verò character indelebilis animæ baptizati impressus. Nos id verum esse agnoscimus, quod baptismus gratiam conferat. Vtrum autem ex opere operato id faciat, antè concedere non possumus, quàm percipiamus quid barbara hæc appellatione sibi velint. Vetustiores opus operatum fidei opponunt, & Sacramenta ex opere operato gratiã conferre idem censent esse, ac si Sacramentum ejus sit virtutis ac valoris, ut gratiam conferat si vel maxime is qui utitur sit bono fidei motu destitutus. In quâ sententia complures scholasticos fuisse Chemnicus in Exam. adductis ipsorum scholasticorum verbis & locis probat. Hanc opinionem merito rejicit Apologia Confessionis nostræ & *simpliciter Judicam opinionem* appellat. Quin cœpit illa recentioribus Papistis suã fœditate displicere, adeò ut Bellarminus lib. II. de effect. sacram. cap. I. stomachabundus de injuriã scholasticis à nobis factã (sed præter rem omninò) conqueratur, & sacramenta conferre gratiam ex opere operato idem esse dicat quod conferre gratiam vi ipsius actionis sacramentalis à Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis vel suscipientis. Quæ si mens est Pontificiorum, nec à collatione gratiæ fidem, prout à nobis illa describi solet secludant, sententia illa coincidet cum nostrate, Articul. Conf. Aug. VII I. propositã, quod *sacramenta & verbum propter ordinationem Christi sint efficacia, etiam si per malos exhibeantur.* Et hæc de priore baptismi effectu. Alterum quod attinet, nempe impressionem characteris qualem in sacramento Ordinis & Confirmationis etiam imprimi volunt, res est prorsus commentitia. Definitur character ille à Tridenti-

nis sess. vii. can. ix, signum quoddam spirituale & indelebile, unde
ea sacramenta iterari non possint. Nempe dicunt ait Chemnitius
noster, Exam. de Charact. sicut hominibus certi status datur quan-
doq; ornatus vel signum in corpore vel veste, quibus cognoscuntur esse
illius status, sive sectæ, ita etiam per sacramenta quibus homo ponitur
in certo statu dicunt imprimi immediatè à Deo quoddam spirituale
signum in anima suscipientis sacramentum, quo cognoscatur suscipi-
ens esse in tali statu. Et huic Characteri multa & varia tribuunt.
Quod sicuti omninò faciunt Pontificij, ita omni è scripturis aut
antiquitate petito solido fundamento destituuntur. Afferunt qui-
dem scripturæ quædam dicta quibus à Deo signari, signo notari, si-
gnum accipere eoq; insigniri credentes dicuntur, qualia sunt 1. I.
Cor. 1. 22. Eph. 1. 13. iv, 30. & c. Sed his locis Spiritus sancti obsignatio-
nem quam ille in cordibus credentium peragit notari, inspicienti
& consideranti facilè apparebit. Rectè itaq; jam olim Gabriel Biel
infimæ ætatis scholasticus in Quartum dist. vi. quæst. 11, artic. 1.
conclusionem primâ: *Characterem esse ponendum eo modo quo definitus
est, nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens autoritas probat.* Item;
*Omnia que attribuuntur characteri, puta significare, configurare, distin-
guere, disponere, commemorari, obligare, æque solvuntur sine characteri sicut
cum characteri, omnia enim operatur sacramentum ipsum sine characteri.*
Et iterum artic. 111. dubio v. *Omnia de characteri dicta pro magnâ par-
te voluntaria sunt, & modicâ ratione fulcita.* Hæc Bielis verba cum
Excellentissimus Dn. D. Calixtus Pontificiis objecisset, respondet
Erbermannus in Irenico cap. ix, §. xv. hunc in modum. *Produxit
Gabrielem Biel, de quo fatendum quidem, quod non rectè & satis temerè
contrâ receptam Theologorum sententiam disputaverit, an possit ex sacris
litteris vel traditione ecclesie convinci character ille? Vnde meritò (sicut in
alijs similibus questionibus) unius alteriusve, singularitates sectantium
nulla ratio habetur. Debebat tamen Calixtus pro suo candore non omittere,
quod eo ipso loco adiunxit Gabriel; fore scilicet presumptuosum, si quis con-
trâ Ecclesie doctrinam sentiret.* Verum enim verò dum Erberman-
nus Bielis ingenuam confessionem reprehendit, ipse verò nullum
prorsus pro characteri suo fundamentum affert, sed tantum com-
munem errantiū gregem illi objicit, nihil aliud præstat quam ut to-
tam

tam causam magis suspectam reddat. Nempe satis temere apud Pa-
pistas agit, qui opinioni quantumvis novæ, saltem communiter
receptæ, ut ut nulla quoq; firma ratio quâ illa nitatur sibi occurrat,
non statim cæco assensu adhæret. Et quod Gabriel dixit *presumptuo-*
sum fore contra communem sententiam hîc disputare, modestiæ
ergo, aut certe ne periculum incurreret adjecit, satis interim quid
de re ipsâ sibi videretur, antea fassus. Vnde verba ista sine candoris
jacturâ à Calixto potuerunt omitti. Erbermannus autem nominis
sui ut & candoris parum memor, quæ nullâ ratione firmari posse
probe videt, quin nec firmare ausus est, retinere nihilominus labo-
rat. Prorsus vero execrabilis est audacia Tridentinorum, com-
mentum hoc characteris sub anathemate definiendum: *Si quis di-*
xerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine non
imprimi characterem in animâ, hoc est, signum quoddam spirituale & in-
delebile, anathema sit. Lepidè ad illum canonem Chemnitius no-
ster in Examine: *Olim iactatum fuit apophtegma, reges ludere pactis &*
iuramentis sicut pueri astragulis ludere solent. Nunc rectius dicitur Pon-
tificia conciliabula anathematis ludere, non secus atque pueri astragulis
ludant.

sess. vii.
Can. ix.

XIV. Verus itaque & genuinus fructus baptismi est remissio
peccatorum, adoptio in gratiam Dei & interior animæ renovatio.
Quæ omnia aquæ illa affusio nequiquam ex sese conficere apta est,
sed Deus ipse per illud medium ista omnia juxta suam dispositionem
semel factam in nobis operatur. Inde jubet Petrus ut *quisq; baptize-*
tur in remissionem peccatorum Act. 11, 38: inde baptismus *abluit peccata*
Act. 22, 16; *lavacrum aquæ in verbo mundat, sanctificat* Ephes. v, 26.
lavacrum regenerationis & renovationis servat nos Tit. 111. 5. 1. Petri 111.
21. &c. Quæ verba tam sonora & manifesta sunt, ut ipsum Calvi-
num & alios qui eum sequuntur, vim earum persensisse nonnun-
quam animadvertas. Calvinus ipse Comment. in Tit. 111, 5; *prin-*
cipium illud valere debet inter pios, Deum non inanibus nobiscum figuris
ludere sed virtute suâ intus prestare, quod externo signo demonstrat. Qua-
re baptismus congruenter & verè lavacrum regenerationis dicitur: Epi-
stolâ clxxix fatetur in baptismo adesse Spiritus sancti efficaciam, ut nos
abluat & regeneret. Marloratus locum Eph. v. explicans hæc pro-
fert;

Disp. Theol.
ol. V. 11.
1000



Act. col-
loq. Mom.
pelg. part.
2, pag. 112.

§. 1.


Disp. The-
ol. V Vit.
reb. edit.
1606.

fert: Quod baptismo nos ablui docet Apostolus, ideò est, quod illie ablutio-
nem nostram testatur Deus, & simul efficit quod figurat. Nisi enim con-
iuncta esset rei veritas & exhibitio impropria esset hæc locutio, baptismus est
lavacrum anime. Hæc ita ille, qui ab improprietate sermonis hæc
admittendâ videtur alienus. Ast aliis ex eadem scholâ, nil nisi sig-
na & signationes & repræsentationes circa hoc negocium in ore
habere consuetum est. Quin imò juxta Beza dictaturam, *aliam*
virtutem aque sacramentali attribueret quam sacramentalis significationis
(figmentum autem esse illam sacramentalem significationem jam
tum supra indicavimus) est manifesta idololatria. Credite hæc Lu-
therani, *avtòs eqa.* Duo tamen adhuc notari merentur. Vnum
est, quando dicimus in baptismo remitti peccata, regenerari ho-
minem & renovari, intelligendum hoc esse, quantum est ex parte
ipsius baptismi, & si impœnitentiâ aut infidelitate ille qui eum sus-
cipit, obicem non ponat. Nam is demum *qui crediderit & baptiza-
tus fuerit, salvus erit.* Alterum est, in regeneratione adultorum pau-
lo aliter ac infantum esse comparatum. Quia enim in illis rege-
neratio per verbum ante baptismum facta supponitur, *mediante ba-
ptismo beneficium regenerationis in illis tantum confirmatur, & Spiritus
sancti gratia locupletatur, atque sic conferuntur eis incrementa donorum.*
Spiritus sancti qua cum regeneratione connexa sunt, ut loquitur D.
Rungius disput. vi, de baptismo.


Et tantum hæc vice de baptismo attulisse
sufficiat.

F I N I S.









HEOLOGICA

XXI

MENTO

S MI,

M

PT. MAXIMO

SIDIO

DI TITIJ

T. ET PROF.

DINARIJ

laj.

A IVLIA,

proponie

S Grupe

anus.

161

TADI

I M VLLERL

LII.

